

tam sedē, offensus derelinquat. Sed modo nō de pudicitia, cui indicendā & exigendā sufficiunt instantia ubiq; diuina præcepta, uerum de pertinentibus ad eandem, id est qualiter uos incedere oporteat. Pleraq; enim (quod ipsum mihi reprehendendo in omnibus reprehendere deus permittat) aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, ita ingrediuntur quasi pudicitia in sola carnis integritate, & stupri auersione consistat, nec quicquā extrinsecus opus sit, de cultus dico & ornatus dispositione. Sed enim perseuerant in pristinis studijs formæ & nitōris, eandem sui circumferētes quam fœminæ nationum, à quibus abest conscientia ueræ pudicitia: quia nihil uerum in his quæ deum nesciunt præsidem & magistrum ueritatis. Nam & si qua in gentilibus pudicitia credi potest usq; adeo eam imperfectam & inconditam constat, licet animo aliquatenus tenax sui agat, in habitus tamen licentia sese dissoluat propter ueritatem gentilium, solatiū appetendo cuius rei deuitat effectum. Tota deniq; est quæ nec placere quidem extraneis concupiscat, quæ non uelit idcirco se expingere ut neget appetitum, quanquam & hoc gentili pudicitia familiare sit, non delinquere. Attamen uelle, uel etiā nolle, attamen non denegare, mirum: quia peruersa sunt omnia quæ à deo non sunt. Videant igitur quæ totum bonum non obtinendo facile, & quod obtinent malo permiscant. Vos ab illis, ut in cæteris, incessu quoq; deuerrere necessarium est: quoniam perfectæ esse debetis, sicut pater uester qui est in cœlis, perfectæ autem, id est Christianæ, pudicæ appetitionem sui non tantum non appetendā, sed etiā execrandam uobis sciatis: primo quod nō de integra conscientia uenit studium placendi per decorē, quem naturaliter inuitatorem libidinis scimus. quid igitur in te excitas malum istud? quid inuitas cuius te profiteris extraneam? tum quod tentationibus uiam aperire nō debemus, quæ nonnunquam (quod deus à suis abigat) instando perficiunt certe uel spiritu scādalum permouent. Debemus quidem ita sancte & tota fidei substantia incedere, ut confessæ & securæ simus de conscientia nostra, optantes perseuerare id in nobis, nō tamen præsumere. Nam qui præsumit, minus ueretur, minus præcauet, plus periclitatur. Timor, fundamentum salutis est. præsumptio, impedimentum timoris. Ut ilius ergo si speremus nos posse delinquere: sperando enim timebimus, timendo cauebimus, cauendo salui erimus: contra si præsumamus, neq; timendo, neq; cauendo, difficile salui erimus. Qui securus agit non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem. At qui sollicitus est, is uere poterit esse securus. Et de suis quidē seruis dominus pro misericordia sua curet: etiā præsumere illi de bono suo feliciter liceat. Quid autem alteri periculo sumus? quid alteri concupiscenciam importamus? quam si dominus ampliando legem à facto stupri non discernit in pœna, nescio an impune habeat, qui alicui fuerit causa peditōis, Perit em̄ ille simul in tua forma si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit, & facta es tu gladius illi, ut & si à culpa uaces ab inuidia non liberaberis

Fort. propter  
uanitatem.

Fort. l. Quota  
deniq;

Tentationes.

Timor.

Præsumptio.